CEPHALAEA SCLERO-MENINGEA FEBRILIS PHILIPPUS...

Filippo Palesa



CEPHALAEA

SCLERO-MENINGEA FEBRILIS

PHILIPPUS PALESA

AD

LAUREAM MEDICAM

IN

S. R. PATAVINA STUDIORUM UNIVERSITATE

OBTINENDAM



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXL.

D · D ·

HIERONYMO · D · MOLIN

DIRECTORI · FACVLTATIS · MEDICAE

APVD · I · R · VNIVERSITATEM · PATAVII

VARIARVM · SOCIO · ILLVSTRIVM · ACADEMIARVM

DVLCISSIMO · IVVENTVTIS · PATRI

SOLLICITO · IN · BONO · ALIORVM

AB · OMNIBVS · AMATO

OMNIVM · IN · DESIDERIO

HOC · TENVE · OBSERVANTIAE

SVMMIQVE · INDICIVM · OBSEQVII

DIE · SOLEMNI · EIVS · LAVREAE · MEDICAE

HVMILITER · OFFEREBAT

PHILIPPVS · PALESA

ANNO . MDCCCXL .

AVGVSTINO . DOCT . DE-ANGELIS

MVLTIS . DECORATO . HONORIBVS . PRIV . ET . PVBL.

IN . REGIONIBVS . AVSTRO-VENETIS

PROCVRATORI . GENERALI

FRANCISCI . IV . ATHESTIS . ARCHID . POTENT . AVSTR .

DVCISQVE . MVTINAE . ET . REGII etc. etc.

MASSAE . ET . CARRARIAE etc.

HODIE . QVO . COHONESTATVR . NOBILIS . LAVREA . MEDICA

FATETVR

NEPOS . PHILIPPVS . PALESA

DE . ILLO . IN . PECTORE . ERECTVRVM . MONIMENTVM

GRATI . ANIMI . ET . RECORDATIONIS

PRO

CVRA . SOLLICITVDINE . AMORE

VNDE . ILLE . NEPOTIBVS

IMMATVRE . PATRE . ET . MATRE . ORBATIS

CONSILIIS . OPERIBVSQVE . SEMPER

ADIVVIT

MENSIS . FEBRVARII . ANNO . MDCCCXL .



Nulla via difficilior et accessu quasi impossibilis mihi offertur quam ea, quae tardius nunc meum ingenium provocat necessario ad scribendam dissertationem medicinam propius spectantem. Si ad multa istiusmodi gravissimae scientiae argumenta mentem converto, video facillime mihi id laboris insurgere, ut possem melius in variis animum versare, quam brevia componere. Quid ego de medicina valeo exhibere vobis nonnulla, quando imprimis, causa studiorum recentium, ideae et cognitiones qualescumque arctis in limitibus claudantur, et quando postea multitudo conveniens partium ejusdem medicinae a se ipsa implicatiorem faciat multis juvenibus ediscendi progressum? Quid unquam de me si praeter intellectus pigritiam ingenitam, tarditatem memoriae, arduum concipiendi prompte mandata, adjungitur et confusio interrogationes quaestionesve in dissolvendo, maximo timore adparente? Quam ob rem stupor nullus hic habebit campum, cum adseram multis laborasse agitationibus non modo examina ad explenda coram viris tam illustribus atque celeberrimis, ve-

rum sub tempore, quod medicae dissertationis imperat scriptum. Nisi distinctissimorum hominum Aesculapii disciplinam profitentium mihi praesto sit gratia et benevolentia, ego sane mediocritatem relinquere numquam potero. Hinc sequentibus pro tempestatibus meliora nonnihil de me inspiciens, ad talem deveni compositionem, quanquam anceps animus adhuc me retineret. Revera cogitanti mihi, cui potius meae sufficerent vires argumento, dubia se sistebant non pauca. Quoniam angustiori meo in loco nil mirum, vel si, qui alii dixerunt, iterum per me repeterentur, vel procederent falsa, vel multa lituris destinata, vel paradoxum medicinae stabilientia. Ne hoc meo labori contingeret, omnia disputationem aut nimiam attentionem involventia neglexi, majori amplectens voluptate, quae legentium animadversiones tam complicatas non cient. Tali pacto omnino parvitati meae satisfeci, inscribensque casum medicum, cui interfui qualis curator primarius assistens anno praeterlapso, subtilioribus dictis mentem meam haud capacem eripui, libenter occasionem praetermisi futilibus papyros adimplendi, et palam omnibus exposui, quod antea, humanitatis gratia, clarissimus Director clinicus non sprevit.

CEPHALAEA

SCLERO-MENINGEA FEBRILIS

Anamnesis. M. B. annorum viginti, patavina civis, nubilis, sutrix, ortum duxit sanis a parentibus. Mater ejus moriebatur decem abhinc annis. Aetate infantili praegressa, libera evaserat ab omnibus morbis, et erant illi octo anni cum molestaretur in lobo auris sinistrae a quadam eruptione, cujus indolem declarare non valet. Hinc insurgebat crusta, quae statim ac decidebat, humori peculiari exitum dabat. Solutio tandem continui stabiliebatur illic, unde auris illius divisio in lobo, uti videre est. Ad annum septimum supra decimum catamenia fluere coeperunt, parva in quantitate exhibentia cursum atque densitatem praeter normam, coloremque nimis rubro-obscurum. Praecedebant menstrua dolores fortes, mordentes versus uteri regionem, qui protendebantur ad lumbos, et isti tandiu durabant, quandiu fluxus triduum adimplens. Menstrua eadem ratione viam tenebant in posterum, qua primum se manifestarunt. Sequentibus annis nonnullas passa est affectiones, quae notatu dignas existimo. Comparuit enim imprimis furunculus genu sinistro, motum artus impediens, prohibensque fere pedem respondentem absque pungenti sensatione solo appropinquare. Per usum topicum hirud. medic. immi-

nuebatur morbus summopere, et sequens adplicatio cataplas. terminum dedit valetudini. Hinc et insultata a levi impetu rheumatico calori et frigori ob expositionem improvidam, offendit morbum thoracis tussi molestae adsociatum, quae per bimestrem juvenem aegram adoriebatur. Illusit ista omnibus remediis commisitque naturae, quod ars medica jam antea vincere potuisset. Funestabant aestus dierum Augusti praeterlapsi anni 1838, quando insurrexerunt febres tertiani typi, fidem relationi aegrae praestare si volumus. Febres medici medicinas fefellerunt, jam transierat mensis, et ille oleum atque operam perdiderat. Interea sulphas chininae in scenam prodiit, qui modica dosi in pillulis propinabatur. Extremum pharmacon morbosa omnia fugavit symptomata; hinc per aliquod temporis bona gavisa est valetudine. Duobus mensibus anteactis suspicio manifestabatur aliqua de vermium existentia. Adnotare hic juvat melancholiam et tristitiam saepe saepius aegram prostravisse.

Mensis erat Novembris quando illam afflictare coepit cephalaea, quae sensim increvit de die: occupabat imprimis dolor superiorem ossis frontalis partem, et serpens ad temporalem dexteram regionem inferius nonnihil descendebat atque extendebatur versus colli respondens latus, nec non proxime nucham quaerebat. Accusabat aegra sensum doloris pulsantis, dilaniantis, qui in exacerbatione conatus ad vomitum inducebat cum respirio aliquantisper libertati naturali impedito. Tussis aderat etiam, quae in impetu incrementum non indifferens dolori cephalico ad-

ministrabat. Nec desiderabatur via oscitationibus et sternutamentis ad augendam pro tempore morbositatem in capite circumscriptam. Aliquando in aure sinistra surditatem experiebatur, quae perdurabat brevi, indeque evanescebat. In organo ipso notus illi erat strepitus confusus. Cephalaea adhuc incipiente mucus plorabat e naribus, inodorus, nulla distinctus densitate, copiosus et frequens, qui in transitu circa circum internos nasi parietes pruritum modicum parturiebat. Fluxus hic non duravit tam diu, quin etiam terminum habuit statim ac magis viguit cephalaea. Nullis adjuvata pharmacis sibi ipsi reliquit morbum, et in pejus ruebat. Interea avunculi mors ejus civit sensibilitatem, atque profudit per longum tempus multas lacrymas. Urgente magis cephalaea post id confessa est lacrymas in posterum saepe et abundantes irrorasse oculos, praecipue versus mane. Demum horripilationibus internis continuis defatigata, quas aliter quam febris existentiam considerabat; victa a praevalenti virium prostratione, quae non permittebat illi tuto incedere; oppressa a gravissima cephalaea, tandem se lectulo commisit, et auxilium medici vocavit. Haec omnia primis Januarii diebus anni 1839 locum habebant. Instituebatur venae sectio ad libram, nec ullum aegrae erat solamen. Hinc bis administrabatur sal cum infusione seminum santonici, at frustra. Medicus timens fortasse ne febris pertinax insisteret, pillulas exhibuit e sulphate chininae; medicamen autem quasi non sumptum. Usa est quoque balneis commixtis sinapi, quae nil profuerunt. Curator deinde finem imposuit visitationibus. Qua-

propter de sua valetudine summopere vaga, dolensque impossibilitatem optimae curae Nosocomium petiit die novissimo Januarii 1839, et in primo sequentis mensis in Clinico accipiebatur.

Individuum vidimus temperamento sanguineo-lymphatico, habitu corporis leviter ad scrofulas vergenti, gratiosa donatum structura; physiognomia denotat animum tristem et melancholicum; facultates mentales promptae; intellectus alacer; caput regulare et sanum; capilli modici in quantitate colorem quasi nigrum offerentes. Indolens caput ad latus sinistrum, in opposito cum violentia afflictatur. Incipit dolor in media superiori parte ossis frontalis, et serpens illuc extenditur, inferius os parietale occupans, respondens tempori dextero, nec parcit viciniis usque ad nucham. Sensatio in manifestatione prima erat lancinans, deinde mutavit indolem, et quasi rodens potentia ibi commoratur. In demissione capitis versus terram illi videtur pondus immensum in se comprimere. Elevato capite quandam experitur pulsationis gravissimae speciem, quam malleo percutienti aequiparat. Omnia haec exacerbantur phaenomena sub vespere: mane vero nonnihil mitiora eveniunt. Conjungitur insuper obnubilatio et confusio quandoque in organis visus: nec alter magis quam sinister patitur oculus sensationem istiusmodi. Interrogata, an cephalaea exasperetur, donando quietem capiti, adfectae nisa regioni; an contrario cum exequatur, pondus convertatur versus illud latus, uti massa a centro se removens, negavit: asseruit solummodo dolorem aequalem insistere utrisque in casibus, magisque

nonnihil pati causa posterioris pressionis. Interrogata, an somnia terroris somnietur, negavit: potius asseruit res confusas in somniis videre. Aliud symptoma cephalaeae adsociatum examinatur in aure sinistra, baryecoiam aliquando ferenti, alias sicuti adnotavi. Ad oculos attentionem nobis convertentibus, sistitur sclerotica praeter solitum pallescens, pupilla dilatata in forti luce diei, splendensque magis et micans. Oculi non fugiunt lucem, attamen saepe saepius increscente cephalaea ardorem urentem persentiunt, emittuntque lacrymas sub hora superius exposita. Iidem circulum lividum, flavescentem tenent sub palpebra inferiori, et videntur magis intra orbitas collocati. Nasum regularem et labia si considerare nobis placeat, adnotandum occurrit aliquod scrofulae indicium, porro levissimum. E naso nunc non labitur profluvium antea memoratum; continuo solum fortis adest pruritus. Os interne conspeximus cum dentibus juxta normam, cum parietibus illic nullo contaminatis morbo, cum gingivis rubescentibus, flammeis parum, et quandoque aliquid sanguinis plorantibus. Sapor vero extiterat pessimus cum anima foetenti: pruritum etiam accusabat in faucibus, et bolum ab inferioribus superius ascendentem, et viceversa. Illi erat ciborum aliqua aversatio et lingua conspurcata: sitis modo intensa, modo fere extincta. Deinde tempore praegresso ita oderat cophaeam, ut odor ipse ad nares perveniens molestiam sibi afficeret; sumpta nauseas et quasi vomitum inducebat. Auris sinistra lobi inferioris dat divisionem, de qua superius; glandulae colli et organa circum residentia, regula-

ria; pectus bene evolutum; libera respiratio; cordis palpitationes normales nunc accipiuntur, referente autem aegra vivaciores et acutae fiunt saepissime sub itinere nimis longo atque sub repetito ascensu et descensione scalarum. Abdomen tractabile. Una cum manu dextera inferior artus respondens, aliquando contractionem spasmodicam, aliquando sensationem acuum hic illic pungentium patitur. Functiones alvi et urinae turbatae; menstrua non adsunt; comparuerant jam quindecim abhinc diebus, et minori quantitate ac alias. Tanguntur pulsus celeres, frequentes, duri aliquantulum; calor e naturali quasi non recedit.

Diagnosis. Duo praecipue objecta componunt morbum nostri individui, universalis passio et localis. De prima statim nobis placet sermonem instituere. Habemus sitim adauctam: saporem oris pastaceum: universam dedolationem: frigus per totum corpus diffusum, cujus exacerbationem sub vespere praecedunt repetitae oscitationes, fastidium omnibus objectis, prostratio virium crescens. Frigus autem plures in horas perdurat, et plus minusve tota die adest, aegra adserente, brevisque calor subsequus illud temperare valet. Sed tam levis momenti, ut, et iamsi sub attactu nostro evectio caloris adpareat, interne aliter succedere, et continuare frigoris horrores affirmetur a puella. Matutinis tandem horis vergentibus aliquid remittit ista sensatio molesta, et dicit tunc se melius habere. Praeterea pulsus dant celeritatem, frequentiam et duritiem, cui unitur altior parumper cutaneus calor. Nec satis. Adnotare oportet excretionum et

secretionum functionem turbatam. Quae omnia, quando sufficiant, porrigunt seriem phaenomenorum omnium febrim stabilientium. Haec vero deponit pro statu subinflammatorio e qualitate pulsuum, et imprimis e cephalaea praevalenti. Quod etiam secum habeat indicia, quae passioni favent tubi gastro-enterici, manifestum surgit statim ac linguam muco albo-flavescenti distinctam examinemus, simul cum halitu foetente in actu expirationis, et ructus amaros quandoque, puella quos accusat, et morositatem pro cibis, et aliquos ad vomitum conatus. Deinde asserere non dubitamus febrim suspicioni vermium consociari, propter signa non modo sese exhibentia, verum et ob vermes cum faecibus excretis alias conjunctos, atque complurium ob symptomatum praesentiam, quae de illorum existentia facile declarant. Re quidem vera frequentem puella nostra accusat sensum pruritus in naribus et ad fauces, quas versus ascendit descenditque non raro bolus. Sensatio praeterea mordens in abdomine, et melius ad umbilicum, non solum judicatur a nobis uti comes et praecursor menstruorum in aegra, verum uti suspicio de vermium existentia. Omnibus istis non desunt, quae in oculo videri possunt quasi vestigia eorumdem. Adnotavimus nempe dilatatam pupillam et praeter solitum micantem; hinc et circulum livido-flavescentem sub palpebra inferiori, et qualitas ructuum nostram non fugiit attentionem. Observandum interim nobis occurrit vermium suspicionem et realem existentiam in individuo nostro sympathicam potius quam idiopathicam cognoscere. Nam ex aliorum investiga-

tionibus constat plures vixisse homines hoc morbo adfectos, gravi quoque molestatos verminatione, quin praegresso tempore unquam illam passi fuissent. Imo enarratur casus feminae cujusdam, quae terrore perculsa, dum jam hepatitide laborabat, tam magnam offendit verminationem, ut salus ejus, causa suffocationis, per dies plures periclitaretur. Quapropter repetimus nostri individui cephalaeam vermes provocasse et febrim et symptomata gastrica.

Examinantibus nunc passionem in capite manifestam, enumerare convenit sequentia: Dolor totam partem capitis dexteram occupans, in primordiis non tam molestus, lancinans et pungens. Hinc violentior factus et insistens multopere propriam indolem exasperavit. Revera sensui pungenti nunc adjungit illum malleo fortiter percutienti similem, qui totum cerebrum fere concutere videtur. Ponderis quoque adinstar hoc phaenomenon tractat et ita saepe gravius evadit, ut, si forte caput versus terram demittat et inde ad caelum tendat, tunc accusandus illi veniat praeter alia rodens dolor. Et plura. Difficillime tollit caput semel inferius si flectit, et statim ac superius elevat, fortis obnubilatio in oculis fit, cum nonnullis vertiginis indiciis: tunc sensatio concussionis magis increscit. Cum vero hoc accidat extra lectulum, artus inferiores vacillant, in tremore superiores agitantur, et calor, uti vapor ascendens, illam aggreditur. Praeterea oculi indistincte lacrymas diffundunt ad mane atque ardorem patiuntur quasi continuum. Haec incrudescunt versus vesperam et mitigantur comparente aurora. Dolor in dextera capitis re-

gione circumscriptus, comitatur quandoque a susurro auris sinistrae surditatem praecedente. Exasperationis tempore inquietam videmus maxime; movet caput hac illac, quin experiatur tranquillitatem; fastidit omnia et quamquam lucem ferat artificialem, attamen adstantes confusionem in visu excitant; hinc morbi incrementum. Tunc odit summopere interrogationibus respondere, vel interroganti satisfacit summa cum difficultate. Ex quibus fatemur agi de cephalaea.

Hujus causa manifestatur imprimis in atmosphaerae vicissitudinibus, in expositione inconsulta calori et frigori, quod saepe nacta est, ipsa referente. Sed praeter malos tempestatis hiemalis influxus, quorum infringendi valetudinem ratio omnibus nota, animi fortiora pathemata etiam atque etiam contra juvenem irruerunt. Nec silentio praetermittatur irregularis menstruorum cursus, qui si alias tempore debito adparebat, quantitate peccans minori ultra normam, nunc magis erant in defectu. Collectis istis in damnum cerebri conversis, accidebat sensibilitatem nervorum illic residentem eminenti in gradu, eo morbosam sistere, quo proxime causae nocentes locum habebant. Exaltatio illuc insurrexit, nobiliores functiones perturbans atque per continuum stimulum via morbo sequenti sternebatur. Tali pacto interea causae menstruorum deficientium usus maritatur immodicus oculorum in operibus supra telas summopere albas, tam vergente vespere ad profundam obscuritatem, quam sub auxilio plurium horarum lucis artificialis. Exercitium visus in albis objectis sti-

mulos parturit spasmodicos nervum opticum insultantes. Hic sensus punctorius in retina; hic gratia consensus incitatio morbosa in viciniis. Si affectio oculorum propter continuitatem partium derepente insurgit, quando unquam systema cerebrale liberum evasisset, si relationem intimam cum oculis tenet, nervo optico adventante, qui a se in cerebrum traducit impressiones immediate cujuscumque generis, ductoris electrici adinstar! Ergo irritatio totius visus per exercitium immodicum oculorum in operibus antedictis, non solum organo, unde inde incepit, limites circumscripsit, sed ultro vagans et serpens nocentes effectus remotis partibus traduxit. Quod si primis vicibus tam male non egit derepente, nec statim petiit violenter alia organa, evenit quod ipso facto, quo originem habet, non omnis stimulorum actio sinistros parturit effectus. Nec semper organa primum cedunt infestis potentiis; nam individua, valetudinem e longo tempore non dolentia, sufficientem in se capiunt causam contra impetum aggressionis. Quam ob rem non cito, potius sero, quem non expectamus, producitur morbus. Si frequenter organon visus et cerebrum, irradiationis ope, male dispositum, minabatur nunc aut porro non amplius potentiis resistere, debuitque viribus cedere intensioribus. Morbose hinc prostrata fuit regularitas functionum oculorum et cerebri: hinc, accedente perverso tempestatis influxu, passio organorum ejusmodi tandem declarabatur. Relinquam epicrisi melius actionem refrigerii modumque decurrendi in morbo puellae nostrae, quae inconsulto illi exponebatur quandoque. Quoad fri-

goris influxum in evolutione cephalaeae, dicam praesentem atmosphaeram multa disposuisse individua huic affectioni obviam ire. Mirum non est ob id genium epidemicum istiusmodi aegrae non pepercisse, quae tam male disponebatur propter diversas in se causas contentas pro morbis systema cerebrale praecipue aggredientibus. Ex quibus offendimus de febri agi continua remittente, dependente ab affectione partiali galeae aponeuroticae, diffundente se per neurilemma in dura matre, cum symptomatibus gastricis in individuo scrofuloso. Complexui morbi denominationem dedimus, cephalaea sclero-meningea febrilis.

Quae de therapia dici possunt, breviter expediam. Cum primum mentis medicae objectum sit causas amovere, quae jam antea morbum principalem pepererunt, sic bonum curantis judicium vidit aegram tollere et liberare ab illis externis omnibus potentiis morbum hujusmodi protegentibus. Sicuti tempestas mala et genius epidemicus existens fovebat cephalaeae summopere, ita indicationi primae satisfactum, quando aegra in Clinicum delata diligenterque adjuta, tutatur ab incommodis succedaneis. Tali pacto nec solum remanet procul ab illa potentia prima nocens cephalaeam exasperans, verum ita se reperit, ut obviam quasi secura fiat optimae valetudini. Interest etiam huic adjungere novam therapiae indicationem. Cephalaea enim non vincitur tam facile, propulso tantum refrigerio. Convenit etiam simplicem reddere morbum ipsum et deinde omnino extinguere. Quapropter in usu succedit, mitigatio imprimis, destructio

postea status phlogistici ab affectione rheumatica inducti. Huic puncto resolutionem dabimus ope hirudinum adplicationis aliquoties, et raro versus partem affectam et in loco remotiori. Antiphlogistica externa nec satis, nam optima judicamus derivantia, uti pastas e sinape confectas ad plantas pedum, vel balnea in iisdem. Juvabit interim non parum dolorem imminuere topicum per narcotica oleosa ad aures instillata. Valebit oleum coctum ex herba recenti hyoscyami nigri, cujus adplicatio repetatur bis de die. Crisibus enim nos favebimus cum evacuantibus et analogis sudoriferis blandis. Ob id excretiones alvi promovendae et excitandum occurrit systema endermaticum per sudores, nec oblivioni relinquemus secretionem urinarum sat copiosam et regimen diaeteticum conveniens. Sic aegra per nos salutem primam poterit amplecti.

Prognosim paucis verbis resolvam. Considerantibus ordinem et decursum et insolentiam, qua cephalaea solet percurrere, tam faustam pronunciare visu primo non valemus. Nam si passio adest in capite; si praecipue tendit in oppressione versus duram matrem; si functiones cerebri turbatae semel quacumque causa tantum mali secum trahunt; si ab evoluta cephalaea magnas cognoscimus complicationes sympathiae gratia productas; si brevis duorum mensium periodus a tempore ejus existentiae de die in diem affectionem pressit hujusmodi; si, uti ita dicam, omni altero mane novum potuit epigenomenon emanare; si anteacta cura in ejus destructionem conversa nil profuit, ratio nobis sufficiens remanet, unde absque errore concludamus, cepha-

laeam praesentem judicium valde anceps de se dictare. Quis promittet aegrae, quis jurare firmiter nobis poterit, passionem non ultra progredi, in limitibus nunc contentis remanere, in pejus non ruere, etsi illic solummodo commorantem, imo evanescere optime statim ac illi cura adhibeatur et propinetur et teneatur diligentior illa domi exhibita? Cum res ita se habeat, edicere non dubitamus reservatam surgere pro aegra nostra sententiam. Quod vero nostro supersit in animo individuum valetudini restitui majori cum possibilitate, quam si methodum diligeret diebus transactis recordatum, nemini dubium venire potest. Hoc in casu videmus incertum de exitu, magis in bonum quam in adversum omen flectere. Devicta semel cephalaea facilius omnia complicationis symptomata profligabuntur. Quid in vigentis dysmenorrhoeae loco adducam? Vultis forsan me fateri fluxum menstruum post victoriam contra cephalaeam, copiose plorare ultra solitum, viam melius sibi sternere, et a norma deinde non aberrare? Non decet medico sibi promittere cum securitate, quod natura aliter multis ab annis stabilivit. Menstrua si tam rara fluunt initio jam adparitionis primae; si tempestate sequenti ordinem habuerunt aequalem, cur nunc vobis placebit nos in naturae dispositionem aliter sentire? Quantum in nobis erit operam navabimus illos adjuvando naturae motus, qui provocant catamenia. Quod si nos nostra fallit diligentia, sortem puellae dolemus; nam constitutionis causa non tam sibi faventis, de hoc saltem diu debebit secum animo quaerere. Cuicumque prognosi

conclusionem dabimus asserentes, individuum valetudini restitui satis bonae quoad cephalaeam: complicationes sympathicas, idest febrim subinflammatoriam, affectionem gastricam, verminationem suspectam componentes, superatas evanescere, prima causa fovente remota: fluxum menstruorum irregulariter procedere, sortem non offendere meliorem, nisi aliter decernat natura, etiamsi passio in capite non amplius existat.

In progressu curae lentum adnotavimus levamen; verumtamen, ratione habita diebus primis illius affectionis, se melius habere incipiebat. Exasperabatur vicissim aut febris aut cephalaea, et cum illa caput extolleret, secunda hoc tempore omnino silebat, et e contra. Febris imprimis per aliquot dies constans insurgebat ad vesperam versus quartam horam, adparente frigore. In posterum non modo matutinis horis celebrabatur ejus adventus, etiam cum minori intensitate in scenam prodibat. Passio autem capitis indiguit duabus tantum hirudinum adplicationibus, et remisit. Hinc adjuvantibus balneis memoratis et pastis sinape confectis, praeter alia blanda remedia externa et interna, devicta est omnino una cum febri aliisque phaenomenis. Quapropter lucente die septima Martii 1839, trigesima quinta curae, et morbi nonagesima quinta, Clinicum sana reliquit.

Epicrisis. Facilis est cognitio de ratione, qua iste morbus evolvebatur, statim ac in mentem nostram revocare placeat decursum, unde sternit sibi viam malus influxus a vicissitudinibus temperaturae exortus. Revera cum ille dilexerit im-

primis caput, exterius offendit galeam aponeuroticam, postquam jam atrium cutaneum, illic obvestiens, antea invasisset. Interea causis primis perdurantibus, idem morbus affecit subjectas partes membrano-fibrosas, et per hunc tramitem quaesivit internas regiones infestans praecipue versus duram matrem ope nervorum quinti et septimi paris cum nervo caustico communicantis. Sic facialis et temporalis nervus affectionem propriam magis interne perduxit ob neurilemma, quod a dura matre originem cognoscit. Tali pacto diffusa est passio, caput in dimidia parte aggrediens. Quod vero non existat valida ratio, uti quis credere potest, ad evolutionem cephalaeae istiusmodi in menstruorum irregulari adventu, demonstratur facillime si consideremus omni transacto tempore, imo a menstruorum prima adparitione, nunquam gravi cephalaea laborasse. Nonnullis enim in hoc sufficientem causam detegentibus, quaeram, hac tempestate cur solummodo propter catameniorum innormalitatem morbum talem puella nostra patitur? Sicuti complura extiterunt individua utriusque sexus, quae propter malum atmosphaerae influxum hac hieme aequalem affectionem offenderunt, ita melius confiteamur genium epidemicum in juvene muliere morbum capitis intulisse. Nec solum qualitas medicaminum ad opus et methodus conveniens id comprobavit, verum et ipse ordo menstruorum. Quoniam ultimo tempore superata cephalaea et febri comite, fluxus ille adparebat in defectu et cum sequelis, uti alia diximus. Reproducebatur ne cephalaea? Non. Quapropter optime valuit judi-

cium de rheumatismo imprimis originante, non de evolvente dysmenorrhoea, si quis praecipitanter alio modo vult sentire. Ex expositis ediscimus, cephalaeam rheumaticam incerta de se pronunciare, cum passio extendatur versus duram matrem: desiderare melius methodum expectativam, quam praecipitem in se irruere: saepius respuere antiphlogistica fortiora et sanguinis evacuationem universalem: illius complicationes derivare a causa sympathica frequenti, non a fonte diverso; restituere valetudinem eadem cum securitate feminis dysmenorrhoea de more laborantibus, quanquam aliquando videatur aliter evenire, neglectis remediis validioribus, quae fluxum ciere valent: nullum detrimentum inferri aegrotanti in cephalaea rheumatica, etiamsi lento passu incedatur in cura, etiamsi pro ejus salute aliquod tempori concedatur.

THESES DEFENDENDAE

I.

Haemoptysis pluribus in casibus potius consideranda est uti effectus passionis universalis, quam localis.

II.

Saepe saepius haemoptysis sociatur palpitationi cordis et tussi fere continuae.

III.

Haemoptysi subjiciuntur facillime non modo individua juvenilia in transitu ad virilem aetatem, verum et illa mala thoracis conformatione praedita.

IV.

Sollicitudo medicorum pro aegris mediocrem scientiam compensat.

V.

Pus vaccinum defendit hominem a violentia variolarum, minime contra fidelem remotionem.

VI.

Pro hystericis, melancholicis, hypochondriacis individuis itinera facilius juvare poterunt.